



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Quomodo in prima Mente sint quinqu[ue] genera reru[m]. Cap. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

*Quomodo in prima mente sint quinque
genera rerum.*

CAP. V.

Quoniam mens prima est vniuersum,
& totum absolutissimum: propterea
in ea, cuncta rerum genera debet in-
ueniri; scilicet, Essentia, Motus, Sta-
tus, Identitas, Alteritas; quæ tamen inter se so-
la ratione distinguuntur: ob quam distinctio-
nem unum non est alterum, unum non præ-
dicatur de altero. Ut autem appareat, quomo-
do in hoc absolutissimo ente ea inueniantur;
considerandum est, essentiam in eo esse genus
primum, circa quod cætera genera versantur;
mox in vita consideratur motus, & alteritas:
vita enim est vegetus actus ex essentia pullu-
lans, omnis vitæ motusque principium: in in-
tellectu consideratur status, & identitas; qua-
tenus est vitalis motionis terminus, progres-
sum vitæ sistens. Insuper alia ratione in hoc
primo ente eadem genera ita considerantur.
In essentia est identitas ratione termini, & v-
niuersæ eius formæ; quæ una, & semper eadē
est. Alteritas ei conuenit per multiformes Ideas.
Ratione quarum etiam ei conuenit similitu-
do, quia conformes sunt, semperque in habitu
simili perseverant: Dissimilitudo, quia ratio-
ne inter se differunt, & dissimilia faciunt. Ä-
equalitas insuper, quia semper æqualis sunt
virtutis; idemque unius Ideæ est actionis mo-

E

dus: Inæqualitas denique; quoniam diuersarum Idearum inæquales sunt vires, & gradus; atque etiam inæqualia faciunt. Deinum hoc priuum ens, quatenus absolutè est, ab ipso uno sortitur Essentiam; & quatenus manando ab illo existit, Alteritatem nanciscitur, atque Motum; quatenus verò, cùm habeat esse ab illo, ad se, & ad illud conuertitur; Identitatem accipit, atq; Statum. Si hæc conferimus cum sententia Arist. inueniemus Arist. cum Platone Deum statuere absolutè simplicè: in intellegitiis verò sub Deo collocatis duplicei ponere compositionem; vnam ex intellectu, & intelligibili, quatenus intelligunt aliquid supra se; alteram ex actu, & potentia non repugnantiæ, pendente ex recessu à primo, quatenus eis sub ratione entis non repugnat major perfectio: quæ duæ compositiones longè sunt diuersæ ab explicatis ex sententia Platonis. Concedunt Platonici utrasque, at superaddunt alias: quæ partim aduersantur fundamentis Peripateticorum, partim cum eis consentiunt: aduersantur, quatenus Plato eas recipit ex emanatione intentis à Deo, ac insuper ex Ideis menti conuenientibus. Arist. nec æternam emanationem concedit; non enim ibi reperitur prouentus, & consecutio, nisi, vt intelligibile est causa intelligitiis, que in modum in 12. Metaph. 44. inquit Auer. Pariter non admittit Ideas; consentiunt tamen, quatenus etiam Aristot. intelligentiis varia tribuit, quæ sola

fola ratione sunt distincta.

Conditiones nonnullæ primæ mentis.

CAP. VI.

Voniam solus Deus est absolutè primus, absolutè simplex, absolutè perfectio; propterea ipse solus, nedū materiæ, verum insuper modi materiæ est expers; cætera verò omnia materiam includunt, vel materiæ modum: & quò magis ab ipso bono distant, magis eam includunt. ideo Mens proxima Deo, minimè includit materiam; & ita maximè est vnū formale, ut prima materia maxime est insinutum formabile. Hæc sub bono posita, maxime expedit bonū, maximeque eo fruitur; adeò ut fruitio expectationi æquetur. Eadem dicitur genita, & ab ipso bono, & à se: ab ipso bono, quia ab eo innat, in quod etiam intelligendo conuertitur: à se verò, quatenus ab essentia fœcunda procedit vita, & in se intelligendo reflectitur: quatenus autem semetipsam generat; semetipsa simul, & iunior, & senior dici potest; nam respi-ciendo ad ordinem generationis, primò est essentia, mox vita, deinde per motum intelligendo in se reflectitur. Sic in ea prior est essentia, quam vita; vita, quam intellectus: Insuper prior est substantia, quam virtus; virtus, quam operatio; adeò ut essentia senior, quam vita, vita, quam intellectus dici possit. Pariter intelligibile est senius intellectu, intellectus est

E 2